

PALATINO SELECTUS.

193

illud artificium etiam in æreis observatum, & postea in argenteis retentum; neque enim credibile est, Romanos inter Græcas Civitates solos venustatem pecuniæ neglexisse. CLAUDIUS CHIELETIUS in Libello posthumo de Nummo antiquo, præsertim Romano, Cap.7. Ubi rem latius deducit, *Æqualem inquit, Urbi signati æris auctoritatem ideò existimo, quia duo sunt in omni Republica Nummorum genera, unum proprium ac peculiare Civitati; Alterum verò Commune exteris etiam populis, cum quibus commercia exercentur; Quæ & PLATO in sua Republica admittebat, ut scilicet peculiare Numisma quotidiani usus gratiâ inter Cives comparatum sit, ex eoque mercenariis opificibus mercedes persolvantur, quod apud ipsos quidem in pretio sit, apud alios autem homines reprobatur; Commune autem illud valeat in Expeditionibus bellicis, & Protectionibus ad externos Homines, sive Legationis, sive Commercii aut rei alterius Civitati necessaria gratiâ: cujusmodi potest esse initio Civitatis Romana Numisma Græcum.* Hæc ita, si PLINII assertio, quam plurimi secuti videntur, locum mereatur. At VARRO in Annalibus (teste ISIDORO l.15.&17. & CHARISIO l.I. Gramm.) ait: *Nummum argenteum conflatum primò à Servio Tullio, quatuor scrupulis majorem, quàm Nummum.* Hoc si verum, jam constat, quid PLINIO tribuendum, qui aliàs nec annum rectè notavit.

Herculem, cujus clava in nummo quarto apparet, nisi sub habitu Herculis Regum quendam tibi imagineris, rectè ad eum retuleris, qui ob Caci cædem in Judicium pertractus, Divinos à Judice, ex Carmentæ Evandri Matris Oraculo, Honores tulisse memoratur, quos diu Græcanico Sacrificii ritu à Potitiis & Pinariis administratos tandem Romulus suscepit, ut latius à LIVIO deductum novimus. Lupam ac duos infantes ad decantatam Romuli & Remi nutritiam pertinere, palàm est. Martis Caput Galeatum Iliæ Vestalis Adulterum prodit, ex quo Conditor Urbis conceptus dicitur. In æreis quibusdam & Pallas visitur, quod Pallade monente Arcades in Palatino Victoriæ Fanum constituerint. Equum autem ad Ludos Neptuno Hippiò sive Equestri sacros, sive Consualia referimus, quamquam, quod in secundo Nummo habetur, Caput Apollinis Circi Apollinaris nos admonere possit in Prætiis Flaminiis, ubi postea Apollinis ædes ædificatæ sunt; Ejus meminit LIVIUS. l.3. c.63. His plura addere superfedemus, cum vastissima de Romanorum rebus cuivis præstò sint volumina.

Bb

In